

sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora
surrectura quam arsissent. In hac quoque urbe veri simile **14**
est certaturos omnes ut maiora celsioraque quam amisere
restituant. Sint utinam diuturna et melioribus auspiciis, in
5 aevum longius condita! Nam huic coloniae ab origine sua
centensimus annus est, aetas ne homini quidem extrema.
A Planco deducta in hanc frequentiam loci opportunitate
convaluit: quot tamen gravissimos casus intra spatium hu-
manae <pertulit> senectutis! Itaque formetur animus ad intel- **15**
10 lectum patientiamque sortis suae et sciat nihil inausum esse
fortunae, adversus imperia illam idem habere iuris quod
adversus imperantis, adversus urbes idem posse quod adversus
homines. Nihil horum indignandum est: in eum intravimus
mundum in quo his legibus vivitur. Placet: pare. Non placet:
15 quacumque vis exi. Indignare si quid in te iniqui proprie
constitutum est; sed si haec summos imosque necessitas
alligat, in gratiam cum fato revertere, a quo omnia resolvun-
tur. Non est quod nos tumulis metiaris et his monumentis **16**
quae viam disparia praetexunt: aequat omnis cinis. Inpares
20 nascimur, pares morimur. Idem de urbibus quod de urbium
incolis dico: tam Ardea capta quam Roma est. Conditor ille
iuris humani non natalibus nos nec nominum claritate di-
stinxit, nisi dum sumus: ubi vero ad finem mortalium ventum
est, 'discede' inquit 'ambitio: omnium quae terram premunt
25 siremps lex esto'. Ad omnia patienda pares sumus; nemo
altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior.